Quelle: https://manuscripta.at/?ID=457
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

urbs syon scribitur. Porro nazarei quos
lxx sanctificatos. symmachus separatos trans
fert. per z semper scribuntur elementum. Super
hunc igitur florem qui de trunco et de radice
iesse per mariam uirginem repente consur
get. requiescet spiritus domini. quia in ipso com
placuit omnem plenitudinem diuinitatis
habitare corporaliter nequaquam per partes
ut in ceteris sanctis. sed iuxta euangelium quod he
breo sermone conscriptum legunt naza
rei. descendit super eum omnis fons spiritus
sancti. Dominus autem spiritus est. et ubi spiritus domini. ibi libertas.
In eodem mathei uolumine legimus illud
quod in consequentibus scribitur. Ecce puer meus
quem elegi. electus meus in quo conplacuit
anime mee. ponam spiritum meum super illum. iu
dicium gentibus proferet. quod ad saluatoris
refertur intelligenciam in quo requieuit
spiritus domini. id est eterna habitacione permansit. non
ut auolaret et rursum ad eum descenderet.
sed iuxta iohannis baptiste testimonium iu
giter permaneret. qui ait. Vidi spiritum descen
dentem quasi columbam de celo et manen
tem in eo. et ego nesciebam illum. sed qui mi
sit me baptizare in aqua. ille michi
dixit. Super quem uideris spiritum descendentem
et manentem in eo. ipse est qui baptizat in
spiritu sancto. Porro in euangelio cuius supra fe
cimus mentionem. hec scripta reperimus.
Factum est autem cum ascendisset dominus de
aqua. descendit omnis fons spiritus sancti et
requieuit super eum. et dixit illi. Fili mi. in
omnibus prophetis expectabam te ut uenires.
et requiescerem in te. Tu es enim requies
mea. tu es filius meus primogenitus. qui reg
nas in sempiternum. Qui spiritus domini appel
latur. et spiritus sapientie. Omnia enim per ipsum fac
ta sunt. et sine ipso factum est nichil. Quod
factum est in ipso uita erat. Et in psal
mis canitur. Quam magnificata sunt opera tua
domine. omnia in sapientia fecisti. Et apostolus scri
bit. Christus dei uirtus. et dei sapientia. Et in
prouerbiis legitur. Dominus in sapientia sua fun
dauit terram. et parauit celos in pruden
cia. Et quoniam idem sermo dei uocatur
lux. et uita et resurrectio. sic spiritus sapien
tie et intellectus consilii et fortitudinis
et scientie et pietatis ac timoris domini
nuncupatur. non quo diuersus sit iuxta
differentias nominum sed unus atque idem
cunctarum uirtutum fons sit atque prin
cipium. Absque christo enim nec sapiens quis
esse potest. nec intelligens. nec consilia
rius nec fortis. nec eruditus. nec plenus ti
moris dei. Et hoc notandum quod spiritus domini
sapientie et intellectus consilii et fortitudi
nis et scientie et pietatis et timoris domini.
id est septenarius numerus qui vii. oculi
in uno lapide dicuntur in zacharia. requies
cat super uirgam et florem. qui de iesse
ac per hoc de dauid stirpe surrexit.
Specialiter autem spiritus timoris domini reple
uit eum. propter eos qui timore domini in
digent. quia paruuli sunt. quem foras
mittit perfecta dilectio. Qui enim timet
penam habet. et non est perfectus. Unde et apostolus
loquitur ad credentes. Non enim accepis
tis spiritum seruitutis iterum in timore.
sed accepistis spiritum adoptionis filiorum
in quo clamamus abba pater. Et in mala
chia legimus. Si pater ego sum. ubi est gloria
mea. Et si dominus ego sum. ubi est timor
meus. De quo timore cantatur in psalmo.
Venite filii audite me. timorem domini